

Pseudo Iamsilla

Historia, 1 (Sezione I.2)

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Pseudo Iamsilla

Historia, 1 (Sezione I.2)

I.10 Vir quidem fuit magni cordis sed magnanimitatem suam, multa que in eo fuit, sapientia temperavit, ut nequaquam impetus eum ad aliquid faciendum impelleret, sed ad omnia cum rationis maturitate procederet; multoque sane fecisset maiora, quam fecit, si cordis sui motibus potuisset absque freno philosophici moderaminis obtemperare, utpote qui philosophie studiosus erat, quam et ipse in se coluit et in Regno ergo propagare ordinavit. **I.11** Tunc quidem ipsius felici tempore in Regno Sicilie erant literati pauci vel nulli; ipse vero imperator liberalium artium et omnis approbate scientie scholas in Regno ipso constituit, doctoribus ex diversis mundi partibus per premiorum liberalitatem accitis constitutoque tam eis salario quam pauperibus auditoribus, sumpto de sui erarii largitate, ut omnis conditionis et fortune homines nullius occasione indigentie a philosophie studio retrahentur. **12.** Ipse quoque imperator de ingenii sui perspicacitate, que precipue circa scientiam naturalium vigeat, librum composuit de natura et cura avium, in quo manifeste patet in quantum ipse imperator philosophie studiosus fuerit; **13.** iustitiam quoque sic dilexerit et coluerit, ut nemini vetitum esset etiam cum ipso imperatore de suo iure contendere; nec suffragaretur sibi favoris imperialis eminentia, quominus ei, <qui> eam contenderet, in iustitia esset equalis; nec nullus advocatus contra eum alicuius quantumcumque pauperis assumere patrociniū dubitaret, cum et ipse etiam imperator hoc licitum unicuique fore statuerit, gratius reputans servari etiam contra se iustitiam, quam habere de lite victoriam. **14.** Iustitiam autem sic coluit, ut tamen rigorem ipsius nonnumquam clementia temperaret. Nam cum predictus papa Gregorius concilium contra eum in

Urbe congregare vellet, ad quod omnes fere prelati Ultramontani vocati per mare cum stolio Ianuensium premunitissime veniebant, admiratus imperatoris, qui deputatus erat ad custodiendos transitus maris, navali bello stolium Ianuensium expugnavit, omnesque prelatos cum duobus cardinalibus legatis apostolice sedis, qui prelatos ipsos ad concilium evocaverant, cepit et vinculatos in Regnum duxit. **15.** Sed imperator, licet contra eos, tamquam sui honoris emulos, procedere de rigore iustitie potuisset, de clementia tamen ipsos absolvit et, magis Deo quam sibi satisfaciens, liberatos abire permisit. **16.** Proinde ipsum variis hinc inde adversantibus, ex emulorum suorum studio concussum, sed nullo modo deiectum, sola virtus Dei viva protexit. Et licet in eum quandoque aliquorum domesticorum suorum perfidia insurrexisset, Ecclesie conspiratione iam publicata, etiam in ipsius necem familiaris se gladius emisisset; licet etiam in terram Lombardorum inde vocato magnitudini cordis eius incomparabilis improvisum obiecisset Victorie sue casum, ipse tamen usque ad ultimum fati sui diem gloriosus et per totum orbem terrarum admirabiliter vixit, et qui omnibus fuerat insuperabilis soli mortis legi succubuit. Mortuus est autem ipse imperator apud Florentinum in Capitanata Apulie XIII die mensis decembris none indictionis. Superstitibus sibi Conrado, quem ex Hierosolymitana, Manfredo, quem ex Italica, et Henrico minore, quem ex Angliensi consorte suscepit, constituitque sibi heredem memoratum Conradum, Romanorum in regem electum, qui, premortuo Henrico maiore in Calabria, primogenitus remanserat inter fratres. **17.** Ipsi autem Conrado, heredi instituto tam in Imperio quam in Regno, minores fratres videlicet Manfredum et Henricum

minorem substituit. **18.** Cum autem idem Conradus esset in Alamannia, dictus Manfredus, quem imperator pre ceteris filiis dilectissimum et in aula sua nutritum suisque documentis instructum principem Tarenti constituerat, concessit sibi comitatus Gravine, Tricarici et Montis Caveosi, necnon et honorem Montis Sancti Angeli – quem imperator ipsius principis matri sponsalium tempore nuptiali donatione fuerat elargitus – ut generalis baiulus ipsius Regni pro fratre suo in Italia et regno Sicilie ageret et illi, qui imperatore remunerationem aliquam obtinuerat, de suo arbitrio provideret. **19.** Postquam autem rex veniret in Regnum, ipse princeps principatum Tarenti et totam predictam terram sibi prelegatam teneret in capite et merum imperium, in ea tamquam dominus esset utpote in cuius indole precognoverat pater quis qualisque princeps ipse facturus esset. **20.** Formavit enim ipsum natura gratiarum omnium receptabilem et sic omnes corporis sui partes conformi speciositate composuit, ut nihil in eo esset quo melius esse posset; a pueritia enim paterne philosophie inherens, ostendebat per certa ingenite discretionis indicia, quantum in maiori etate prudentie esset habiturus et, qualiter ipse erat, per quem domus augusta gubernari poterit et in statu glorie conservari; **21.** et non sine causa Manfredus vocatus fuerit, quasi manens Frederico, in quo quidem vivit pater iam mortuus, dum paterna virtus in ipso manere conspicitur; vel Manfredus idest manus Frederici, utpote sceptrum tenere dignus est, quod manus paterna tenuerat; vel Menfredus idest mens Frederici sive memoria Frederici, quasi in eo mens vel per eum memoria Frederici perduret; vel Minfredus, idest minor Fredericus maiori ablato subcrescens; vel Monfredus, idest mons Frederici,

sive ‹Munfredus idest› munitio Frederici, in quo videlicet Frederici nomen et gloria ultro usque in monte sive in munitione excelsa quasi ad sepulcrum posterorum servata consistunt; ut per quamcumque vocalem etymologia ipsius nominis varietur, paterna ibi res et nomen inveniatur. **22.** Nec immerito quidem ad tam preclari nominis etymologiam cuncte vocales littere pro sua qualibet diversitate conveniunt, ut liquide demonstretur talem esse personam, hoc nomine denotatam, que ad regimen universale conveniat. **23.** Ut sicut ceteræ littere quidem nullum per se sonum efficiunt, nisi vocalibus adiungantur, vocales autem per se ad soni perfectionem sine aliarum litterarum adiectione sufficiunt, sic persona principis, rem nomenque paternum in se per omnium vocalium varietatem concludens, ea esse videatur sine qua universale regimen perfecte subsistere nequeat et, que ad idem regimen adminiculo alieno non indigens, sola perfecte sufficiat. **24.** Et sicut nihil est quod sine vocabulo aliquo exprimi possit aut scribi, ita nihil eorum fit, que in patre augusto ad universale regimen convenerunt, quod filio tam ex paterni nominis specie quam ex sue sapientie mutatione non congruat. **25.** Cum igitur ipse imperator plures generaverit filios prudentes quidem atque magnificos paternasque virtutes particulariter imitantes, iste tamen princeps Manfredus paternarum gratiarum atque virtutum heres fuit universalisque successor, ut ius primogeniture, quod secundum carnem apud aliquos ex fratribus suis erat, ex prefiguratione aliqua in filiis Isaac atque David, in eum esset Divine provisionis consilio transferendum.